



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XCVI. Mars, Deus belli.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

juxta vulgare verbum : *Dives aut iniquus est , aut iniqui heres.* Habet igitur Pluto strenuum in filio emissarium , qui spargit nummos , ut viam sternat ad inferos. Quanta verò sit huius aurei aut ærei Numinis apud omnes gratia & veneratio , ostendunt duo vetusti versiculi :

Audito nummo , quasi quodam Principe summo
Dissiliunt valvæ : nil auditur , nisi salve.

SYMBOLVM XCVI.

Mars, Deus belli.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Maris comitatus quid significet. Eius effigies. Bellona. Animalia Marti sacra. 2. Belli miserix. 3. Effectus. 4. Bellum justum. 5. Prudentia bellica. Celeritas in bello. 6. Martis currus, Symbolum est Pax iracundi. 7. Quinque sensus, Solis filix. 8. Victoria. 9. Pax.

ETymon auius dei à Varrone lib. 4. de ling Lat. ducitur inde, quòd maribus in bello præsit. A Poëtis *Mavors*, appellatur per epenothosin, quòd *magna vertat*. Hic Jovis & Junonis filius esse fingitur; vel, ut Ovidius fabulatur, solius Junonis. Cùm enim olim Juno turbata, quòd animadvertisset Jovem percusso capite, sine femina commercio procreasse Minervam, versus *Oceanum* proficisceretur, percontatum, quo pacto & ipsa sine viro parere posset, itinereque fatigata, juxta fores deæ *Flora*, conjugis *Zephyri* consedisset; interrogata ab ea fertur, quam ob causam ad Oceanum pergeret: quâ cognitâ, facturam se voti compotem deam pollicita est, si id Juno celaret Jovem. Quod cùm Juno jurejurando promississet, mox illam *Flora* monuit, in campis *Oleniis* Achaiaë regionis florem esse, quò tactò statim conciperet sine viro. Id experta Juno, concepit, & peperit filium; quem Martem nominavit. Dicitur is *Gradius*, sive à *gradiendo* in bello ultro, citròque: sive à gradu militari, quo viginti millia passuum, seu quinque milliaria Germanica æstivis diebus sunt conficienda militi. *Geticus* Mars arvis præ-

Eccc 3

sidere

fidere fertur, quia apud Thraces potissimum colebatur, eiusque sacra humanis hostiis fiebant. Antiquissimum ei templum olim Romae fuit in *Campo Martio*, qui nomen inde habet. Mars etiam *Vltor* à Romanis cultu religioso afficiebatur, cui templum Augustus extruxit bello Philippico, quod Cæsaris patris sui ulciscendi causâ susceperat. In aditu ejus templi ante fores ab utroque latere Martis & Veneris statuae videbantur, de quorum flagitioso congressu, ejusque manifestatione, in Venere diximus. Nullum etenim scelus tam occultè patratum, quod non protrahatur in lucem seriùs aut citiùs. Neque obscurè Poëta per libidinem Martis & Veneris indicare voluerunt, quandoque milites, hujus utriusque Numinis stipendiarios esse.

Ethica.

I. (a) *Timor, Ira, & Clamor* sunt Martis comites inseparabiles. Ipse curru vehitur cruentam manu vibrans hastam; aurigatur seu regit currum *Bellona*, furia propior, quam dea. Statius lib. 7. Achilleid.

----- regit ipsa jugales

Sanguinea Bellona manu.

Terror ac Pavor juxta aliquos currum trahunt: secundum alios simul cum Bellona aurigas agunt; aut certè ut Satellites currum stipant. Claud. lib. 1. in Ruffin. inducit Martem loquentem:

Fer galeam, Bellona, mihi, nexùsque rotarum

Tende *Pavor*, frenet celes *Formido* jugales.

Valerius Flaccus lib. 3. argonaut.

----- Terrorque, Pavorque

Martis equi, sic contextis umbonibus hærent.

Ambitosius Papinius lib. 3. Thebaid.

----- comunt Furor, Iraque cristas:

Frena ministrat equis Pavor aliger, ac vigil omnia

Fama sono, varios rerum succincta tumultus

Antevolat currum.

Et Claud. lib. 2. de laud. Stiliconis

----- currum patris Bellona cruentum,

Ditibus exuviis tendentem ad sidera quercum

Præcedit, licetorque Metus, cum fratre Pavore

Barbara ferratis innectunt colla catenis.

Formido ingentem vibrat succincta securim.

(a) Martis comites, sunt calamitates belli.

Vir-

Virgilius inter comites Martis etiam *Diras* jungit & *Discordiam*, lib.

1. *Æneid.*

----- scavit medio in certamine Mauors
 Celatus ferro, tristésque ex æthere *Diræ*,
 Et scissâ gaudens vadit *Discordia* pallâ;
 Quam cum sanguineo sequitur *Bellona* flagello.

Idem *Æneid.* 12. Turnum fortissimè pugnantem, cum Marte componens, canit:

Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebrî
 Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes
 Bella movens, immittit equos: illi æquore aperto
 Ante Notos, Zephyrùmque volant: gemit ultima pulsu
 Thraca pedum, circùmque atræ Formidinis ora,
 Iræque, Insidiæque, Dei comitatus, aguntur.

(b) Pingitur autem Martis imago, sanguineis vir oculis, truci vultu, galeato capite, loricato pectore (Horatius tunicam adamantinam ei circumdat) sinistrâ clypeum, dextrâ hastam præferens; quorum concussu equos stimulat, & in cursum impellit. Circumfunduntur ei à latere, à fronte, à tergo variae pestes, quarum meminimus. (c) *Bellona* & ipsa galeata est, capillis passis, sanguinolenta, flagellum dextrâ sustinet, clypeum lavâ, in quo lupus expressus; unde Martius appellatur à Marone 9. *Æneid.* Nam Marti *canis*, *lupus*, *gallus*, *vultur*, & *picus* sunt sacra. *Canis* fidelitatem significat, necessariam bono militi & militari fortunæ: *Lupus* ferocitatem & rapacitatem bellis familiarem indicat. *Gallus* vigilantiam docet: *Vultur* præfagam providentiam; nam olfactu valet: *Picus* constantiam in labore & oppugnatione: picus enim durissimum lignum tamdiu rostro percutit, dum perfringat & perforet. Benè Tullius: Parùm sunt arma foris, nisi consilium sit domi. Huic deo *Equus* etiam sacer est, eique immolari solitus; quia bellicosum est animal, & ad tubæ sonitum exultat in prælium. De hoc belli signo Maro 3. *Æneid.* ubi in ipso Italiæ aditu *Æneas*.

Quattuor hîc (primum omen) equos in gramine vidit
 Tondentes campum latè, candore nivali.

Et pater Anchises, bellum ô terra hospita portas:

Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.

Bellona præterea tubas inflare & Martem accendere cantu dicitur. Silius lib. 5. *Punic.* ei facem in manus dat:

Ipsa

(b) Martis effigies. (c) *Bellona*. (d) Marti qua animalia sacra.

Ipsa facem quatiens, ac nigram sanguine multo
Sparsa comam, medias acies Bellona pererrat.

Falcem quoque manu prætendebat. Claudianus lib. 2. in Eutrop.

----- Quid dudum inflare moraris
Tartaream Bellona tubam? quid stringere falcem
Qua populos à stirpe metis?

Ejus Sacerdotes vocabantur *Bellonarii*, de quibus Lactantius lib. 1. c. 21. Eandem Bellonam vocant, in quibus sacris ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant: sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes currunt, & efferantur, insaniunt, seipso ferro fauciant. Iidem vaticinabantur stragem populorum, aut everfiones urbium, ubi semel concepto furore transcurrere cœpissent: iisque maxima fides habebatur. Juvenalis Sat. 4.

----- Sed ut fanaticus œstro
Percussus, Bellona, tuo divinat &c.

Coronabatur autem Mars gramine; quod herbam abductis per bellum agricolis fovere censeretur, cum patiatur eam latè serpere. Hinc victus herbam olim porrigebat victori: quæ consuetudo à pastoribus profuxit, qui antiquitus cursu aut alio certamine superati, herbam ex eodem statim loco decerptam, adversario porrigebant. Et Plinio testante, *Corona Obsidionalis* dabatur è viridi gramine, obsessos servanti ac liberanti Duci. Nam summum apud veteres signum victoriæ erat, *herbam porrigere victos*, hoc est, terra & altrice humo, ac etiam humatione cedere.

II. (e) Haud immeritò *Diræ* adduntur Martis comitatui, Acherontis & Noctis filix, animorum, sibi malè consciorum exagitatrices, & variarum calamitatum invectrices; secundùm etymon sunt quasi *Deorum iræ*; succinctæ serpentibus, & alis ad volandum & celeriter nocendum præditæ. De his Virgilius lib. 12. *Æneid.*

Hæ Jovis ad solium, favique in limine regis
Apparent, acuuntque metum mortalibus agris,
Si quando lethum horrificum, morbósque deum Rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes.

Servius in hunc locum easdem facit cum Furiis, & in cœlo quidem *Diras* vocari ait, in terris *Furias & Eumenides*, apud inferos autem *Stygiæ canes*. Quod verò Martis sint comites, sapienter perspexere Poëta, bellum à Superis & Inferis immitti, idque Furiarum ministerio. Hinc Juno bellum in Italia motura Trojanis 7. *Æneid.* Lucti-

(b) *Bella miseria.*

Luſtificam Aleſto dirarum ab ſede ſororum,
 Inferniſque ciet tenebris; cui triftitia bella,
 Iraque inſidiæque, & crimina noxia cordi.
 Odit & ipſe Pater Pluton, odere ſorores
 Tartaræ monſtrum, tot ſefe vertit in ora.
 Tam ſævæ facies, tot pullulat atra colubris.

Audiamus, quid hæc poſſit Furia:

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
 Atque odiis verſare domos: tu verbera tectis,
 Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
 Mille nocendi artes: ſœcundum concute pectus:
 Diſiſce compositam pacem, ſere crimina belli,
 Arma velit, poſcâtque ſimul, rapiâtque juventus

Unde *bellum à bellua* quidam deducunt, quòd belluarum ſit, non
 hominum, in mutuam exitium congregi. Alii bellum *νελ' ἀντιΠοροιν*
 dictum volunt, quòd nihil habeat neque *bonum*, neque *bellum*. Lepi-
 dum eſt epigramma noſtri Bernardi Bauhuſii de Anco Velio adolescente,
 à Pallade ad Martem tranſeunte. Qui cùm vidiffet & audiffet.

Tympana, bombardasque, triumphalesque tonitrus,
 Cantricsque tubas niveo ductas argento,
 Et cocco rutilas aquilas, rutilasque pyropis,
 Tum Tyrias chlamydam lucas, & texta ſagorum
 Aurea, gemmatosque enſes, atque omnia magnis
 Oblita divitiis; belli puer iſtus amore:
 Me ſine, me, genitor; bellum peto. dixit, at ille
 Me ſine, mi fili, bellum nego, dixit, & aurem
 Vertit.

Exorato denique Velius parente

----- ille volat; bella aurea, & aurea caſtra
 Ferrea mox ſentit.

Denique relatus domum paternam egens, pallens, æger,
 Is procul illacrimans: pudet, ô pater, & piget, inquit,
 Parcito: credideram Bellum miſer adjectivum.

Nempe dulce bellum inexpertis; ſed galeatum ſerò duelli poenitet.
 Juvenalis in hos Martis pullos Sat. 10.

Bellorum exuvia, truncis affixa trophæis
 Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,

F f f f

Humanis

Humanis majora bonis creduntur.

Cristata scilicet Martis galea, distinctus geminis baltheus, feralè coruscans hasta, refulgens auro clypeus, phalerati equi, pictus currus, & in eo suspensa trophæa, hostiles exuviæ & spolia, impellunt mortaliū animos in vulnera, cædes, funera. Quibus occinas illud Horatianum: lib. Epod. Od. 7.

Quò, quò scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

Parùmne campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?

Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
Unquam, nisi in dispar feris.

Furorne cæcus, an rapit vis acrior?

An culpa? responsum date.

Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentèsque perculsæ stupent.

Lentiùs in arma ruerent homuli, si meminisse vellent, incertos esse belli exitus, Martèmq; communem. Sallustius in Jugurtha ait: Omne bellum sumitur facilè; cæterùm ægerrimè desinit. Non cuius in potestate initium ejus & finis. Et alius: Initia belli penes Principes sunt, exitus penes fortunam. Poëtarum summus exclamat:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Idem i. Georg. de belli tempore:

Tum multæ scelerum facies, non ullus aratro
Dignus honos: squalent abductis aua colonis,
Et curæ rigidum falces conflantur in enses.

Et Seneca:

Tum scelera, dempto fine, per cunctas domos
Jere; nullum caruit exemplo nefas.

Item Lucanus:

Stat cruor in templis, multaque rubentia cade
Lubrica fæxa madent: nulli sua profuit atas.

Hinc tyrannorum quispiam occisorum capita ramis arborum appendebat in horto suo; cujus vestibulo inscriptum: *Bellaria Martis*.

III. (f) Equidem ut Pax omnium bonarum rerum parens & nutrix est; ita Bellum, cujus calamitates per Furias indicari diximus, quidquid est lætum, quidquid pulchrum, obruit, extinguit, abolet, omniumque

(f) *Belli effectus.*

umque malorum Letnam in vitam mortalium effundit. Pacis tempore coluntur agri, vernant horti, pascuntur lætæ pecudes, ædificantur villæ, exstruuntur oppida, instaurantur collapsa, ornantur & augmentur exstructa, crescunt opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret Reipublicæ disciplina, fervet religio, valet æquitas, pollet humanitas, calent artes opificum, uberior est quæstus pauperum, splendidior opulentia divitum; efflorescunt honestissimarum artium studia, eruditur juvenus, tranquillo fruuntur otio senes, bonis auspiciis nubunt virgines, laudantur simili prole puerperæ, florent boni, minus peccant mali. At simul sæva belli tempestas ingruerit, Deum immortalem! quam ingens malorum pelagus occupat, inundat, obruit universa. Abiguntur armenta, proteruntur segetes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, tot sæculis exstructa florentissima civitates unâ procellâ subvertuntur. Civium opes ad milites transferuntur; mœrent domus metu, luctu, & querimoniis: lamentis complentur omnia. Frigent artes opificum, pauperes extrema premit egestas: divites aut ereptas deplorant facultates, aut timent relictis, utroque modo miserimi: Virginum aut nullæ, aut tristes & funestæ nuptiæ: desolata matronæ domi sterileseunt, silent leges, ridetur humanitas, nullum locum habet æquitas, religio ludibrio est, sacri & profani nullum omnino discrimen, corrumpitur omni vitiorum genere juvenus: damnant longævitatem suam luctuosi senes: nullus honos est honestis litterarum studiis: in summa omnes delicias, amœnitates, comoda vitæ, ornamenta pacis, Bellona vel sua demetit falce, vel comburit face.

IV. (g) Sed quia Mars Deus est, & ex dea ortus, cur non reperiatur in bellis, quod laudari possit? Nam Cicerone teste de Offic. *Suscipienda bella sunt, ut sine injuria in pace vivatur. Cum tempus, necessitasque postulat, decertandum manu est, & mors servituti, turpitudinique anteponenda.* S. Ambrosius lib. 1. Offic. c. 40. & 41. postquam multis exemplis ostendit, excelluisse quoque in populo Dei multos bellicæ fortitudinis laude præstantes, deinde his verbis concludit: Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti & decori forma est, quod mortem servituti præferat ac fortitudini. Quæ res multos accendit, ut leonum instar spirarent Martem; quibusque dulce ac decorum erat pro patria mori; imò pulchrius pro religione, Deo, cælo. At bellum multis est occasio cupidè, avarè, crudeliter, impiè agendi: num ideo nullum esse debet?

(g) *Cur bellandum?*

Ffff 2

Nil

Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Et latro, & cautus præcingitur ense viator,

Ille sed insidias, hic sibi portat opem. Trist. lib. 2.

Sapienter Thucydides: Ut modestia est, quiescere, si non afficiaris injuriâ: ita justitia est, cum injuriâ laceessimur, bellum paci anteferre; & represâ injuriâ, post bellum rursus pacem facere: ne aut successu in bellis elati plura appetere, aut pati injurias mollitiæ & amore otii videamur. Et Sallustius: Sapientes Pacis causâ bellum gerunt, & laborem spe otii sustentant.

V. (b) Fingitur Mauors insidere currui, & suum ad arbitrium equos flectere. Claudianus describens insignem belli Ducem, hoc moderamen equorum ad prudentiam militarem refert:

----- Ductorque placebit,

Qui non præcipiti, vel læta vel aspera rerum
Consilio momenta regens, nec tristibus impar,
Nec pro successu tumidus: spatiûmque morandi
Vincendique modum, mutatis noscit habenis.

Livius monet: Priusquam ingrediare bellum, cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo. Agesilaus interrogatus, quid ducem belli præcipue exornaret? respondit, adversus hostem audacia, & in oblata opportunitate consilium. Ut navis sine gubernatore ad scopulos impingitur & colliditur; sic militaris expeditio sine prudentia in præceps fertur. Paucis equidem temeritas in gloriam aut felicitatem; plerisque in exitium cessit. Temerariorum conatuum documenta habemus in Flaminio apud Trasimenum lacum: in Varrone apud Cannas, cum quadraginta millium cæde litatum temeritati est: in C. Manilio, & Q. Cæpione contra Cimbro & Teutonas, octoginta millibus desideratis: in Hostilio Mancino triginta millibus à tribus Numantinorum millibus superatis, foeda etiam castrorum deditio: in Calpurnio Pisone, exercitu ejus à paucis oppresso: in Crasso contra Parthos, septem legionibus, cum equitum quatuor millibus, totidemque velitum, cumque ipso duce, ducisque filio cæsis aut fugatis. Quorum exempla docent, ut, qui bellica laude, felicitatēque excellere volunt, meminerint, feroces & exultantes generosioris animi spiritus, ceu rapidos Martis equos adducto cohibere, ac flectere freno. Verè quidam: *Corrigit præsentem lapsus prioris, ac de reprehensione antecedentis*

(b) Prudentia in suscipiendo bello.

is exempli nascitur emendatio. Pingitur Mars armis horridus, acinacem manu rotans, cum lemmate: *fortiter, sed cautè:*

Hic licet infestis nusquam penetrabilis armis
 Securus propria conditione Deus:
 At caput Ætneo munit, pectusque metallo,
 Ceu mortem impavidus terreat, ac paveat.
 Consilium cauto Princeps à Principe sume:
 Sint tibi cuncta licet prospera, cuncta time.

Neque verò prudentiâ tantum opus est in bello inchoando, sed etiam, & vel maximè in gerendo: cujus rei symbolum est Capricornus, signum cœleste superiore parte Hircum aut Caprum, posteriore piscem referens, cum hoc carmine:

Addita sideribus radiantia cornua tollit
 Squamigero constans Pisce, Caproque Fera.
 Iras fronte gerit, cauda fluitante timorem,
 Anterior terret, posteriorque fugit.
 Hoc Ducis officium, pugnax ut cornua sumat,
 Et simulare sciat lubricus arte fugam.

(i) Sed tamen etiam Martiali curru laxandæ non rarò habent. Nam juxta Poëtam: *Martis equi ante Notos, Zephyrumque volant.* Quid hic significatur? Celeritate opus esse in bello. Philosophi Romani effatum est: una rebus salus est, occurrere ad primos rerum impetus. Alexander Macedo festinatione vincebat; qui rogatus, quare ratione tantum sibi imperium tam brevi tempore comparasset, respondisse fertur: *nihil differendo.* C. Julius Cæsar Dictator, ut scribit Suetonius, Pontico triumpho inter pompæ fercula, trium verborum prætulit titulum: VENI, VIDI, VICI. Stadius Martis curru etiam *Famam* volentem adjunxit: nam bella constant celeritate, & famâ. Sæpe quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit, inquit Curtius. Et Livius lib. 27. Famâ bellum conficit, & parva momenta in spem, metumque impellunt. Accedit Tacitus: *Fama in novis cœptis validissima est: primisque eventibus metus aut fiducia gignitur.*

VI. (k) Quidam per Martem, designant hominem iracundum, & impotem animi. Mars enim instar furibundi à Poëtis pingitur. Et quid est ira, nisi furor brevis? Mars celeri curru rapitur; nulla stabilitas in animo iracundo; ex uno affectu in alium revolvitur. *Præcordia fatni quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius,* inquit Ecclesiasti-

Ffff 3

stasti-

(i) Celeritas in bello, (k) Martis currus imago hominis iracundi.

fiasticus c. 33. Ex confuso & turbido corde similes cogitationes prodeunt. Quid auribus est ingratius stridente currus rotâ? quid iracundi clamoribus magis absonum, aut inconditum? Et quales sunt rotæ currus hujus? indomitæ perturbationes, feroces & præcipites impetus, quibus animus in vindictam impellitur. Verè Isaias: *Rota ejus, quasi impetus tempestatis.* c. 5. In tempestate, quod est horror & caligo; hoc sunt in iracundo, offusæ menti tenebræ: quot in illa sunt tonitrua; hoc, in isto vociferationes & convitia: quod in illa, fulmina; hoc in isto minæ & intentata verbera: quod in illa ventorum conflictus; hoc, in isto contrariorum affectuum tumultus: quod in illa fluctus, procellæ, naufragia; hoc in isto sunt totius corporis jactationes, & foeda præsertim oris spumantis, facies, & valetudinis ac honestatis extrema labe. Mars manu vibrat hastam; iracundus vindictam, nullo discrimine iusti vel iniusti.

VII. (1) Adulterium Martis, à Vulcano deprehensi & nexibus vincti, notissima res Poëtis est; Ovidius;

Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit:

Notior in cælo fabula nulla fuit.

De hoc figmento eleganter & castè Furius Fulgentius Episcopus lib. 2. Mytholog. scribit in hæc verba: Venus Marti concubuit; Sol eos Vulcano prodidit; hic catenas adamantinas excogitavit, quibus adulteros vinciret. Venus in doloris vindictam, quinque Solis filias amoribus succendit. *Pasiphaën*, *Medeam* (non illam Colchidem, Jafonis uxorem) *Phædræ*, *Circen*, & *Dircen*. Hæc igitur amorum dea, quinque Solis filias, id est, quinque humanos sensus, luci ac veritati deditos, quasi Solis foetus, hac corruptela fuscatur. Unde illis nomina. *Primam* Pasiphaën nempe omnibus apparentem, id est, Visum vocarunt. *Secundam* Medeam, quasi *Audium*, hoc est, *ἰδέν ἰδῆν*, nullam visionem. *Tertiam* Circen, id est, *Tactum*, quasi dicerent *ἁπάντων κερταίν*, manuum judicium. *Quartam* Phædræ, *Odoratum*, Græcè *ὀσφραίν ἰδῆν*, ferens suavitatem. *Quintam* Dircen, Saporis indicem, quasi *ἰσχυρῆν*, acerbè judicans. Quinque has filias exitiali morbo detentas interiisse ferunt, quò quid aliud innuitur, quàm foedæ libidinis venenum per sensus in animum instillari, rursusque ex animo in sensuum exitium, & totius corporis pestem redire? Hæc ille vir eruditus & pius, utique alius à S. Fulgentio, qui inter SS. PP. censetur. De etymo harum vocum non est necesse hîc disputare.

VIII. (m)

(1) *Quinque sensus sunt quinque Solis filia.*

VIII. (m) Dum de Marte agimus, *Victoria* quoque, quæ Martis currum circumvolat, quæque ab antiquis inter deas colebatur, est mentio facienda. Depingebatur virginis alata habitu, vultu liberali & blando, capite laureato, manu dextra protensa lauri ramulum aut coronam lauream, læva palmam ostentante. Per *alas* dubia bellorum fors significatur: unde Ovidius lib. 8. Metam.

Inter utrumque volat niveis *Victoria* pennis.

Quidam armatam exhibent vultu hilari, sed pulverulento, manibus cruenta spolia gerentem. Vel etiam dextrâ fertum, sinistrâ vexillum tenentem, & globo insistentem. Quibus Symbolis indicatur Virtutem, maximè militarem, adversis probari; neque sudore tantum, sed etiam sanguine constare belli gloriam.

IX. (n) Sed neque *Pacis* imaginem prætereamus, propter quam, ut diximus, bellum geritur. Aliqui eam representant, accensa face armorum cumulum inflammantem; juxta illud psalmi 45. *Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.* Alii Virginem pingunt altera manu ramum oleæ, altera vel cornucopiæ, vel caduceum præferentem; quòd omnia hæc pace, defensa, bello violentur. Alcatus pro *Pacis* emblemate proponit inversam militis galeam, in qua favos & mella conficiunt apes. Idem pro Symbolo *Pacis* pingit coronam spiceam, uvis circumdatam. Apud Pausaniam in *Bœoticis*, Pax sustinet in ulnis puerum *Plutum*: quò significatur, rerum opulentiam à pace foveri. Etiam spicas manu gestat & uvas, quibus frugum designatur copia. Oleâ quoque, lauro & rosis coronatur; ut ostendatur, artium & scientiarum florem à Pace conservari. Sunt qui *Pacem* in curru olivæ frondibus cincto invehunt, eique comites addunt Religionem, Justitiam, Faustitatem, *Tibullus* lib. 1. eleg. 10. *Pacem* sic oculis subjicit.

Interea Pax arva colit; Pax candida primùm
Ducit araturos sub juga curva boves.
Pax aluit vites, & succos condidit uvæ,
Funderet ut nato testa paterna merum,
Pace bidens, vomérque vigent, ac tristia durî
Militis in tenebris occupat arma situs.



SYM.

(m) Virtus militaris & Victoria. (n) Pacis emblemata, & fructus.